Kgl. bayerische Studienanstalt

in

Bayreuth.

Programm

am Schlusse des Jahres

1878/79.

Inhalt: **Horatiana.** Von Rector Grossmann.

Bayreuth 1879.

Druck von Th. Burger.

Horatii carmina interpretantes nonnunquam in ejusmodi locos incidimus, ubi discipulorum studia editionum, quibus utuntur, ope destituantur, vel quod res, de qua agitur, optione facta, ut ipsi eligant, quam potissimum sequantur explicationem, in medio relinquitur, vel quia res quaedam, tamquam si nihil omnino difficultatis habeant, silentio praetermittuntur; occurrunt denique loci, in quibus vulgata scriptura haud scio an immerito vel in dubium sit vocata vel etiam mutata. Quam ob rem decerpturi sumus ex Epistolis locos hujus generis aliquot, ad quorum interpretationem aliquid adjumenti discentibus allaturi esse videamur.

Epist. I, 1, 2.

Spectatum satis et donatum jam rude . . .

Vocabulum *spectatum* noli interpretari „bewährt", sed „öffentlich aufgetreten": ita oratio ad majus illud *donatum jam rude* recte progredietur.

Epist. I, 1, 54.

Janus summus ab imo.

Quoniam Janus medius, ad quem constat argentarios sedisse, etiam simplici Jani nomine appellatur (cf. Ov. r. a. 561 Qui puteal Janumque timet celeresque Kalendas), quibus autem nominibus duo illi Jani, inter quos medius situs erat, appellari sint soliti, prorsus nescitur, nec, cum poeta scribit *summus ab imo,* idcirco his verbis totum spatium inter duos Janos exteriores porrectum denotetur necesse est: verisimillimum videtur vocabulis *Janus summus ab imo* nihil significari nisi illa utrimque secundum Janum medium loca, ubi feneratores argentariam exercebant. Ceterum locus erat via sacra ad clivum Capitolinum versus forum transeuntibus paullatim acclivis. Verte: „der (mittlere) Janus von unten bis oben".

Epist. I, 2, 13.

Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.

Quidem est adversativum: de quo particulae usu conf. Naegelsbach, lat. Stil.[6] p. 572, Halm ad Cic. in Verr. IV, 11, 26.

Epist. I, 2, 15.

Seditione, dolis, scelere atque libidine et ira
Iliacos intra muros peccatur et extra.

Hoc loco, ne orationis junctura in licentia poetica posita esse videatur, primum admonendum est bis binorum membrorum altera *(seditione, dolis)* dissoluta, altera *(scelere atque libidine et ira)* ita juncta poni, ut horum prius *(scelere atque libidine)* e duobus in unum quasi coalescat („frevelmüthige Willkür“); deinde ne illud quidem praetermittatur, *seditione, dolis* populorum, *scelere atque libidine et ira* regum aestus (v. 8) significari.

Epist. I, 2, 18.

Ulixen.

Operae pretium erit breviter admonere vocabulum „Ὀδυσσεύς“ ex forma (Aeolica) Ὀλυσσεύς ad „Ulixen“ deductum esse. Magnis hoc certisque argumentis ex Eustathio (ad Hom. *B* 569 p. 289) et Quintiliano (I, 4, 16) petitis refutatisque Plutarchi (Marc. 20) et Ibyci (ed. Schneidew. p. 139), quae ferebantur, testimoniis nuper docuit H. Jordan, krit. Beitr. zur Gesch. der lat. Spr. (Berlin 1879) p. 38—45.

Epist. I, 2, 34.

. . . et ni
Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis et rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere. Nam cur,
Quae laedunt oculum, festinas demere: si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?

Particula *nam* v. 37, ut saepe apud tragicos γάρ, poscit, ut ante audiatur: Et recte ac merito torquebere.

Epist. I, 2, 40.

Dimidium facti, qui coepit habet; sapere aude,
Incipe.

Hunc versiculum esse puerorum in usum, scilicet ut proverbia in Latinum ex Germanico convertere discerent, depravatum in pentametrum illum „Dimidium facti, qui bene coepit, habet“ indignor. Inepte inculcatum est istud vocabulum „bene“: coepisse ipsum respondet nostro „frisch gewagt“.

Libet hic etiam alios locos Horatianos, qui in proverbiorum ocnsuetudinem venerunt, cum aut mutilentur aut perperam intelligantur, breviter attingere.

Mitto illud, quod saepissime audias „disjecta membra poetae“: loquitur Horatius de Ennii versibus (Sat. I, 4, 60):

. . si solvas „postquam Discordia taetra
Belli ferratos postes portasque refregit“,
Invenias etiam disjecti membra poetae;

mitto illud sermone tritissimum „quandoque bonus dormitat Homerus“, quod citatur, quasi sit excusationis ponaturque vocabulum *quandoque* isto loco indefinite („dann und wann“), cum sit conjunctio relativa (Epist. II, 3, 359):

Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus;

hoc quaero, qui tandem potuerit fieri, ut vocabula (Epist. II, 3, 361) „ut pictura poesis“ vulgo ita interpretarentur, ut ea idem viderentur significare, quod illud Simonideum: *ἡ μὲν ζωγραφία ποίησις σιωπῶσα, ἡ δὲ ποίησις ζωγραφία λαλοῦσα·* de qua re vide Goethium (XXV, 162): „Man muß Jüngling sein, um sich zu vergegenwärtigen, welche Wirkung Lessings Laokoon auf uns ausübte, indem dieses Werk uns aus der Region eines kümmerlichen Anschauens in die freien Gefilde des Gedankens hinriß. Das so lange mißverstandene: ut pic-

tura poesis war auf einmal beseitigt, der Unterschied der bildenden und Redekünste klar, die Gipfel beider erschienen nun getrennt, wie nah ihre Basen auch zusammenstoßen mochten.“ Nec enim Horatius iis, qui sequuntur, versibus de poesis et picturae vi atque natura disserit, sed de contemplandis tabulis pictis legendisque carminibus; haec ille:

Ut pictura poesis: erit, quae, si propius stes,
Te capiat magis, et quaedam, si longius abstes;
Haec amat obscurum; volet haec sub luce videri,
Judicis argutum quae non formidat acumen;
Haec placuit semel, haec deciens repetita placebit.

An dicamus ejusdem epistolae verba (v. 9. 10)

Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas

in fraudem illexisse?

Quid? quod in lexico quodam non contemnendo scriptum legimus: „Weß das Herz voll ist, deß geht der Mund über: Omne supervacuum pleno de pectore manat“? At apud Horatium (Epist. II, 3, 335) haec:

Quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles:
Omne supervacuum pleno de pectore manat.

Epist. I, 5, 12.

Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?

Subtracta oratio aptissime suppleri videtur vocabulis: datam esse dicam.

Epist. I, 6, 13.

Si, quidquid vidit melius pejusve sua spe,
Defixis oculis animoque et corpore torpet.

Praeter hunc locum particularum *que et (τὲ καὶ)* usus apud Horatium invenitur Carm. IV, 9, 35; IV, 13, 21; IV, 14, 46. Non huc referendus locus est

Carm. IV, 2, 41 Concines laetosque dies et urbis
Publicum ludum super impetrato
Fortis Augusti reditu forumque
Litibus orbum,

ubi *que* (v. 41) ita respondet alteri *que* (v. 43), ut laetitia publica et justitium discernantur.

Epist. I, 6, 15.

Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui,
Ultra, quam satis est, virtutem si petat ipsam.

Hoc loco non erit absonum Nauckio auctore (ad Corn. Nep. Arist. 1, 4) de illis admonere, quae Aristidi, cum exsilio multaretur, quidam respondit „sibi non placere, quod tam cupide elaborasset, ut praeter ceteros Justus appellaretur *(ἐνοχλοῦμαι πανταχοῦ τὸν Δίκαιον ἀκούων)*."

Epist. I, 6, 24.

Quidquid sub terra est, in apricum proferet aetas,
Defodiet condetque nitentia.

Quemadmodum hic, quo facilius cognoscatur primariam sententiam esse eam, quae postposita ex aequo est, parataxis in syntaxin comparativam mutari potest: sic eadem ratio intercedit in sententiis negativis hisce, ubi vertas „so wenig — ebenso wenig":

Sat. I, 3, 113 Nec natura potest justo secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis;
Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque,
Qui etc.

Epist. I, 7, 35 Nec somnum plebis laudo satur altilium, nec
Otia divitiis Arabum liberrima muto.

Epist. II, 1, 264 . . . ac neque ficto
In pejus vultu proponi cereus usquam
Nec prave factis decorari versibus opto.

Epist. I, 6, 31.

Virtutem verba putas et
Lucum ligna: . . .

Imitanda est allitteratio, quae dicitur, interpretando: „Tugend — Tand, Hain — Holz". Quae figura uti hoc loco fortuito intercurrisse orationi existimanda est, ita quaesita videtur esse Sat. I, 6, 57: Infans namque pudor prohibebat plura profari. Adde, quae Nauckius ad Carm. III, 14, 3 attulit.

Epist. I, 7, 24.

Dignum praestabo me etiam pro laude merentis.
Quodsi me noles usquam discedere, reddes
Forte latus etc.

29. . . . **vulpecula** . . .

34. **Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno.**

Oratio ita videtur contexta esse: Ac dignum quidem praestabo me — *καὶ ἄξιον μὲν παρέξω ἐμαυτόν* — (non modo meam ob causam, sed) etiam pro laude merentis; at si — *ἐὰν μέντοι* — ad laudem merentis illud quoque per-

tinebit, ut ego ne usquam a tuo latere discedam, aut reddas mihi necesse est aetatem, reddas mentem, — aut ego cuncta resigno, et possum donata reponere laetus.

Epist. I, 7, 51.

Cultello proprios purgantem leniter ungues.

Respondet *leniter* nostro proprio vocabulo „gemüthlich".

Epist. I, 7, 58.

Gaudentem parvisque sodalibus et lare certo
Et ludis et post decisa negotia campo.

Admonendi discipuli sunt de usu praepositionis *post* cum participio perfecti passivi.

Haec structura non modo requiritur, cum aut tempus aliquod inter duas res interjectum esse ablativo annexo significatur (tribus annis post reges exactos), aut cum praepositio post nostro „seit" respondet vel adjuncto temporis intervallo (tertio anno post urbem conditam = ab urbe condita) vel non adjuncto (Cic. Cat. IV, 7, 14 Causa est post urbem conditam haec inventa sola; Cic. de off. II, 23, 82 Aratus ad Ptolemaeum suum hospitem venit, qui tum regnabat alter post Alexandriam conditam), vel denique ut rem rei continuari jungique doceatur, veluti

Carm. I, 3, 29 Post ignem aetheria domo
Subductum macies et nova febrium
Terris incubuit cohors: —

verum etiam, ubi sermo est de eo, quod, quotienscunque res aliqua confecta erat, fieri solebat (nostrum „allemal nachdem"), uti supra *post decisa negotia* et

Epist. II, 1, 140 Condita post frumenta levantes tempore festo

Corpus et ipsum animum . . .
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant.

Addi potest in hujusmodi causis conjunctionem *posteaquam* plerumque conjungi cum plusquamperfecto vel imperfecto.

Alia est ratio Tac. Ann. II, 25, 13 „perdita classe, amissis armis, post constrata equorum virorumque corporibus litora“, ubi non tam variandae orationis causa, quam ne plures ablativi concurrerent, altera structura praeoptata a scriptore est.

Epist. I, 10, 24.

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

Sumpta similitudo est a vita rusticorum, qui bestiarum ferarum incursiones furca (*δικράνῳ*) propulsabant.

Epist. I, 10, 47.

Imperat aut servit collecta pecunia cuique
Tortum digna sequi potius quam ducere funem.

Locis iis, quibus apud alios poetas *tortus funis* invenitur, addi possunt hi:

Ov. Met. 15, 696 Torta coronatae solvunt retinacula navi;
Sil. It. 6, 353 intortos aptare rudentes.

Ceterum istud epitheton non vitiose abundat, sed ornat augetque orationem. Ac jam apud Homerum *σειρὴ πλεκτὴ* (*χ* 175. 192) ita dicitur, ut paene idem significet quod *σειρὴ ἐϋπλεκτος* *Ψ* 115. Notissimum est praeterea illud Ciceronis (de or. III, 48, 184): oratio polita atque facta quodam modo — et Horatianum (Sat. I, 10, 58): Versiculos ... magis factos et euntes Mollius. — Ad rem ipsam conferri licet Juv. 12, 3:

niveam reginae ducimus agnam . . . , Sed procul extensum petulans quatit hostia funem . . . Quippe ferox vitulus.

Epist. I, 12, 22.

Utere Pompejo Grospho et, si quid petet, ultro
Defer.

De vocabulo *ultro* conf.

Epist. II, 1, 226 . . . ut, simulatque
Carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
Arcessas et egere vetes et scribere cogas.

Epist. I, 12, 24.

Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.

Haec sententia nulla prorsus ex parte differt ab illa, quam Socrates apud Xenophontem (Mem. II, 10, 4) his verbis prosequitur: *Οἱ ἀγαθοὶ οἰκονόμοι, ὅταν τὸ πολλοῦ ἄξιον μικροῦ ἐξῇ πρίασθαι, τότε φασὶ δεῖν ὠνεῖσθαι · νῦν δὲ διὰ τὰ πράγματα εὐωνοτάτους ἔστι φίλους ἀγαθοὺς κτήσασθαι* Etenim Horatii versum ita interpretari, quasi significetur „Kein Preis, um den man einen Freund erwerben kann, ist zu hoch", vetamur verbis proxime praegressis: *nil Grosphus nisi verum orabit et aequum.*

Epist. I, 13, 18.

. . . oratus multa prece nitere porro.

Haec verba nunc recte ad poetam ita referuntur, ut idem valeant quod: Ego te multa prece oro, ut porro nitare. Causis a Ribbeckio allatis adde, quod, quoniam Vinii garrulitatem Horatio non fuisse incognitam ex praecedentibus vocabulis *Ne vulgo narres te sudavisse ferendo Carmina, quae possint*

oculos auresque morari Caesaris apparet, haud sane periculum fuit, ne iste a curiosis hominibus in itinere precibus urgeretur.

Epist. I, 15, 31.

Pernicies et tempestas barathrumque macelli,
Quidquid quaesierat, ventri donarat avaro.

Tacet de v. 31 Kruegeri editio. — Maenius, ex quo tempore scurra vagus factus erat, nullo jam pacto poterat appellari *pernicies . . . macelli.* Ita efficitur, ut scripturam *donabat* excludamus amplectamurque alteram non minore fide dignam *donarat.* Atque quoniam hujus totius periodi uti superioris v. 1—25 conformatio ad sermonem quotidianum accommodata est, quid obstat, ne versus 31 et 32 pro parenthesi habeantur, qua Horatius, quo modo Maenius res maternas atque paternas absumpserit, explicat? Quod si feceris, nihil erit causae, quamobrem duo illi versus tamquam spurii deleantur. Eademque illa parenthesi factum esse videbitur, ut subjectum *Maenius* (v. 26) pronomine *hic* (v. 33) repetatur. Periodi igitur forma haec erit: *Maenius, ut . . . urbanus coepit haberi (pernicies . . . donarat . . .): hic, ubi . . . abstulerat, patinas coenabat omasi . . . ; idem, ubi . . . verterat . . . , ajebat etc.*

Epist. I, 16, 5.

Continui montes, ni dissocientur opaca
Valle.

Conjunctivus praesentis facilior erit ad intelligendum, ubi ejus vim pluribus verbis hisce explicaveris: „wenn du dir das Thal, welches sie trennt, wegdächtest". Conf. Liv. XXVI, 32, 4: Si ab inferis exsistat rex Hiero . . . , quo ore aut Syracusas aut Romam ei ostendi posse, cum . . . spolia patriae suae visurus sit?

Epist. I, 16, 30.

Cum pateris sapiens emendatusque vocari,
Respondesne tuo, dic sodes, nomine? Nempe
Vir bonus et prudens dici delector ego ac tu.

Haec verba quid sibi velint, conjunctione *cum* et particula interrogativa *-ne* recte interpretatis dilucide apparebit. Ac primum tenendum est enuntiationem per conjunctionem *cum* prolatam contrarie positam esse praecedenti sententiae condicionali:

Si quis bella tibi terra pugnata marique
Dicat . . . ,
. . . Augusti laudes agnoscere possis.

Hanc rerum gestarum gloriam Horatii amicus renuit, sapientis titulum non item. Hoc ipso, quod se sapientem vocari patitur nec obloquitur, concedit velle se sapientem haberi neque nomen dedignatur similiterque facit, ut si in delectu miles nominatim citatus ad nomen respondet. Sequitur igitur, ut *respondesne* idem significet atque *nonne respondes* usitata loquendi consuetudine: cf. *videsne* = *nonne vides?* Verte: „Damit aber, daß du es dir gefallen läßt, wenn man dich weise und fehlerlos nennt, nicht wahr? damit antwortest du doch — sag's nur — gleichsam bei deinem Namen? — Ja freilich; denn ein braver und kluger Mann zu heißen, erfreut mich wie dich".

Epist. I, 18, 91.

Potores bibuli media de nocte Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula, quamvis
Nocturnos jures te formidare tepores.

In tertio hoc membro vel partium congruentia aequalitasque postulat, uti nominativus *potores* ne sine attributo, ut

grammatici loquuntur, ponatur: quare nihil est causae, cur vocabula *bibuli* — *oderunt* tollantur.

Epist. I, 19, 32.

Hunc ego non alio dictum prius ore Latinus
Vulgavi fidicen.

Pronomen *hunc* utrum ad Archilochum (v. 25) an ad Alcaeum (v. 29) sit referendum, quaeritur. At cum Horatius a versu 21 nihil aliud nisi de Archilocho, cujus sit numeros animosque, non res secutus, loquatur, Sapphonem autem et Alcaeum, qui non plus quam ipse modos et carminis artem mutare voluerint, per comparationem tantum nominet: non possum adduci, ut Horatium credam ita sententiam absolvisse, ut a totius loci tenore aberraret transgredereturque repente ad rem minoris momenti. Ac ne illud quidem, quod addidit *non alio dictum prius ore,* mirabile quidquam habet: huc enim, unde ducta vel potius digressa est, redit oratio, ut Horatius sese probet principem (v. 21) — primum (v. 23) — Archilochi modos ad Latinos deduxisse.

Epist. I, 19, 32.

Hunc ego non alio dictum prius ore Latinus
Vulgavi fidicen.

Fuerunt, qui, quemadmodum Romanorum poesim, linguam etc. vocari *Romanam* pro *Latina* improbarent, sic item negarent Latine dici *scriptores Romanos.* Apud Horatium haec inveniuntur: Carm. IV, 3, 23 Romanae fidicen lyrae; Epist. II, 1, 29 Romani pensantur eadem Scriptores trutina; Epist. II, 2, 94 vacuam Romanis vatibus aedem; Epist. II, 3, 264 data Romanis venia est indigna poetis. — Addere

libet: Carm. I, 32, 3 age, dic Latinum, Barbite, carmen, Lesbio primum modulate civi; Sat. I, 10, 20 At magnum fecit, quod verba Graeca Latinis Miscuit; Epist. I, 3, 12 Fidibusne Latinis Thebanos aptare modos studet; Epist. I, 19, 32 (v. supra); Epist. II, 2, 143 verba sequi fidibus modulanda Latinis; — Epist. I, 19, 23 Parios ego primus iambos Ostendi Latio; Epist. II, 1, 156 Graecia capta ferum victorem cepit et artes Intulit agresti Latio; Epist. II, 2, 121 Fundet opes Latiumque beabit divite lingua; Epist. II, 3, 289 Nec virtute foret clarisve potentius armis Quam lingua Latium.

Epist. I, 20, 24.

Corporis exigui, praecanum, solibus aptum.

Servanda videtur codicum scriptura. *Solibus aptum* idcirco se vocat Horatius, quoniam eo, quod in aprico campo Martio vel ludendi vel spectandi causa frequenter versabatur (Sat. I, 6, 123 ungor olivo . . . Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum Admonuit, fugio campum lusumque trigonem; Sat. II, 6, 48 Ludos spectaverat una [cum Maecenate], Luserat in campo: Fortunae filius, omnes), solis se patientem*) esse aptaverat**). Interpretare igitur: „ein Freund des sonnigen Marsfeldes". Adjuvatur haec interpretatio comparatis locis Persianis, qui sunt Sat. 4, 17 „Quae tibi summa boni est? Uncta vixisse patella Semper et assiduo curata cuticula sole" et v. 33 „At si unctus cesses et figas in cute solem" coll. Hor. Epist. I, 4, 15 Me pinguem et nitidum bene curata

*) Carm. I, 8, 3 . . . cur apricum
Oderit campum patiens pulveris atque solis.

**) Epist. I, 1, 68 An qui Fortunae te responsare superbae
Liberum et erectum praesens hortatur et aptat?

cute vises. Apricatio enim s. insolatio, quam Graeci *ἡλίασιν* s. *ἡλίωσιν* nominant, et oblectationi inserviebat et valetudini.

Epist. II, 1, 5.

Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux
Post ingentia facta deorum in templa recepti.

Sublata erit omnis, quae in vocabulis *deorum in templa* inesse videtur, difficultas, ubi non verteris „in die Tempel der Götter", sed „in Göttertempel": templa iis ponebantur, ubi honore colebantur divino.

Epist. II, 1, 16.

Jurandasque tuum per numen ponimus aras.

Ad defendendam scripturam *numen* vide praeter Carm. IV, 5, 33—36 etiam illa, quae de Augusto memoriae prodita sunt Tac. Ann. I, 10, 23: „Nihil deorum honoribus relictum, cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet".

Epist. II, 1, 32.

Venimus ad summum fortunae: pingimus atque
Psallimus et luctamur Achivis doctius unctis.

Quid sit *summum fortunae,* quaeritur. An id explicari dicamus verbis, quae subsequuntur: *pingimus etc.*? veluti in Goethii tragoedia ea, quae inscribitur Mahomet, Omarus Muhamedo (V, 1): „Du bist zum Gipfel deines Glücks gelangt: Gesetze giebst du deinem Vaterlande, Bist ihm Prophet und König und regierst Vom väterlichen Boden aus die Welt". At cur Horatius comparativo *doctius* usus est? Gradatio repetatur necesse est a vocabulis *venimus ad summum fortunae.*

Sententiarum enim ex aequo positarum prior causam affert posterioris h. s.: Nos Graecis non solum in litteris pares sumus, sed, quandoquidem ad summum fortunae venimus h. e. in bellicis rebus majora quam Graeci vel potius summa sumus assecuti — id quod Horatius breviter attingit v. 19 „Te nostris ducibus, te Grais anteferendo“, pluribus verbis perscribit v. 253 sqq. „tuisque Auspiciis totum confecta duella per orbem Claustraque custodem pacis cohibentia Janum Et formidatam Parthis te principe Romam“ —, in pingendi, psallendi, luctandi artibus, quibus Graecia positis Persarum bellis indulgere coepit (v. 93 sqq.), Graecis etiam praestare existimandi sumus. — Vocabuli *fortunae* vis eadem est quae v. 94.

Epist. II, 1, 75.

Injuste totum ducit venditque poema.

Junctura ducendi vendendique dilucide ostendere videtur referendam translationem esse ad mercatum nundinasque: quippe venditores earum mercium, quae non singulae, sed aut plures simul aut pondere vel mensura veneunt, optimas quasque, quibus improbiores occultentur, primo loco collocare vel supra imponere solent. Verte: „es ist unrecht, daß er an die Spitze des ganzen Gedichts gestellt wird und dasselbe empfiehlt“.

Epist. II, 1, 83.

Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt.

Exspectatur syntaxi servata: nisi quod sibi placuerit. Verum etiam in prosa oratione non raro tertiae personae pronomen in sententiis relativis non pendentibus ad principalis sententiae subjectum reflexive relatum invenitur, ita

tamen, ut in reflexivo contrariam quandam vim, quae est pronominis *ipse* propria, positam esse appareat: notissimum illud, quod promiscue a scriptoribus usurpatur: *quantum in ipso est* et *quantum in se est.*

Epist. II, 1, 91.

. . . aut quid haberet,
Quod legeret tereretque viritim publicus usus.

Denotantur bibliothecae publice institutae — Epist. I, 3, 17 Scripta, Palatinus quaecunque recepit Apollo; II, 1, 216 si munus Apolline dignum Vis complere libris —, ex quibus libri mutui sumebantur — terebanturque.

Epist. II, 1, 101.

Quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?

Hunc versum de sede sua cedentem rectius post versum 107 poni persuadere mihi non queo. Graecorum enim mentis inconstantiam mutabilitatemque Horatius posteaquam lepida illa cum infanti puella comparatione vituperasse visus est, jam quodam modo excusat, utpote quae in ipsa hominum natura nitatur. At qui potest fieri, ut Romanos, quod eam, quae ad vitam communem spectat, actionem deseruerint, vocabulis *populus levis* vituperet praegressa excusatione?

Epist. II, 1, 110.

Fronde comas vincti cenant et carmina dictant.

Dictant sc. scriptoribus suis: prorsus eodem modo Sat. I, 4, 9 de Lucilio: „in hora saepe ducentos Ut magnum versus dictabat stans pede in uno“.

Epist. II, 1, 156.

Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio.

Post vocabula, quae ad res bellicas pertinent, verbo *intulit* hostile quiddam significante imago continuatur.

Epist. II, 1, 164.

Temptavit quoque, rem si digne vertere posset.

Vocabulum *rem* utro sit referendum, cur in ambiguo relinquatur? Postulat particula *quoque* voci *temptavit* adjuncta, ut accusativus *rem* a verbo *vertere* pendeat: contrarie enim inter se referuntur cognoscendi ratio (*quaerere* v. 162) et experimenta scribendi (*temptare* v. 164). Versu 258 „nec meus audet Rem temptare pudor, quam vires ferre recusent" nihil probatur.

Epist. II, 1, 195.

Diversum confusa genus panthera camelo.

Diversum genus nec appositio potest esse: repugnat vocabuli *confusa* collocatio; nec est idem, quod „naturae diversae, bellua saeva et mansueta commixta": repugnant verba insequentia:

Sive elephas albus vulgi converterat ora;

ex quibus verbis hoc necesse esse apparet, ut aliquid, quod sub oculorum sensum cadat, sit additum. Sed vox *confusa* generis medii cum accusativo juncta est, ut Sat. I, 6, 74 „suspensi loculos"; *diversum* autem genus dicitur propter figuram et colorem, quoniam camelopardalis, ut ait Varro, est figura ut camelus, maculis ut panthera.

Epist. II, 1, 260.

Sedulitas autem, stulte quem diligit, urget.

Quoniam in urgendi vocabulo ipso vituperationis significatio inest, adverbium *stulte* non urgendi, sed diligendi verbo jungatur necesse est, quod quidem vel numeri poscunt. *Stulte diligere* quid esset, praecedentibus versibus 257—259 expositum est.

Epist. II, 1. Dispositio.

De Latina poesi

I. Romanorum judicium (v. 1—102).

Populus Romanus in Caesare venerando justus (1—17)
injuste antiquissima quaeque Romanorum scripta vel
optima esse existimat (18—27)
de iis ex Graecorum scriptis judicans (28—33).
Nam neque potest vetustas ipsa per se aestimari (34—49),
nec est aut vetus poema idem probum (50—75)
aut novum vile (76 - 89).
Ac ne Graecis quidem novitas invisa fuit (90—102).

II. Horatii judicium (v. 103—270)

primum (103—138) cum de universa Romanorum poesi
tum praecipue de lyricis carminibus;
deinde (139—213) de scenica poesi, quae cum primo
agrestis fuerit et horrida, commercio cum Graecis habito exculta est, quamquam
et poetarum liturae metu (167—176)
et corrupto spectatorum judicio (177—207),
ne ad perfectionem perveniat, efficitur;
denique (214—270) de epicis poetis non indignis, qui ad
scribendi studium excitentur.

Epist. II, 2, 2.

Si quis forte velit puerum tibi vendere natum
Tibure vel Gabiis et tecum sic agat: „Hic . .
. . . .
In scalis latuit metuens pendentis habenae“:
Des nummos, excepta nihil te si fuga laedat,
Ille ferat pretium poenae securus, opinor.

Hujus periodi structura ut explanetur, duo sunt tenenda. Quorum alterum hoc est, uti versus 16 ne adnumeretur verbis mangonis, quippe qui servi delictum, posteaquam id vocabuli *cessandi* lenitate mitigavit, non potuerit continuo appellare duriore nomine *fugae.* Alterum est, ne apodosin a vocabulo *des* ita ordiare, ut *des nummos* et *ille ferat* ex aequo ponantur simulque audiatur ad *des* pronomen *tu.* Imo *des nummos* notissima illa interrogatio pro condicione est, qua quidem hoc loco poeta, ut opinor, propter insequentem particulam *si* uti noluit*). Habes igitur, ubi sententiam proprie primariam *(des nummos)* pro secundaria *(si des nummos)* acceperis, illam periodi imaginem, de qua Naegelsbach lat. Stil.[6] p. 447 copiose disputavit a:(b: A) vel potius, cum secundariae enuntiationis *si* — *laedat* rationem duxeris, hanc formam a: (b/α: A).

Verte: „Gesetzt, jemand wollte dir einen Sclaven verkaufen und würde so mit dir reden: — — —: so würde er, wenn du die Summe zahltest, falls du an der Flucht keinen Anstoß nähmest, ganz unbedenklich das Geld nehmen können“; sive mavis:

---

*) Nisi forte omittendae particulae *si* rationem Madvigio auctore ita explicare malueris, ut dicas non esse omissam particulam *si*, sed ejus ponendae causam sublatam alia instituta orationis forma, qua quidem id, quod condicionis loco sit, fingatur esse.

„würdest du nun die Summe zahlen, falls du ꝛc., so würde er ganz unbedenklich ꝛc.“

Epist. II, 2, 6.

Verna ministeriis ad nutus aptus heriles,
Litterulis Graecis imbutus, idoneus arti
Cuilibet.

Aptus is dicitur, qui sibi dexteritatem aliquam exercitatione comparavit, *idoneus* is, in quo naturalis ingenii dexteritas inest. Conf. Carm. II, 19, 25 Quamquam choreis aptior et jocis Ludoque dictus non sat idoneus Pugnae ferebaris.

Epist. II, 2, 35.

. . . hortari coepit eundem
Verbis, quae timido quoque possent addere mentem.

Notandus particulae *quoque* usus est; exspectabatur *etiam* s. *vel timido.*

Epist. II, 2, 43.

Adjecere bonae paulo plus artis Athenae.

Adjectivum *bonae* cum substantivo *artis* vel ob hoc conjungendum videtur esse, ne haud magno spatio interjecto (v. 46) idem repetatur verbis *loco grato.*

Epist. II, 2, 52.

. . . quod non desit, habentem.

Conjunctivi vim ac rationem explicabis hac versione: „wenn ich das besitze, was nicht fehlen darf“ h. e. „soviel, als ich zu einem anständigen Auskommen für nöthig erachte“ s. „soviel, als vorhanden sein muß“.

Epist. II, 2, 80.

. . . contracta sequi vestigia vatum?

In vocabulo *contracta* nihil mutandum esse jam loco ex Propertio sumpto comprobatum est. *Contracta sequi vestigia* h. e. gradu item presso legere per strepitus nocturnos atque diurnos Horatius prohibebatur.

Epist. II, 2, 95.

Mox etiam, si forte vacas, sequere et procul audi,
Quid ferat et qua re sibi nectat uterque coronam.

Cur nunc editiones *quare* pro *qua re* exhibeant, miror. Loquitur Horatius de duobus poetis, quorum alter alterum laudando efficere studet, ut ipse laudetur ab altero: hac re sibi nectit uterque coronam. Particula interrogativa *quare* si recte se haberet, scribendum fuit: quare uterque utrique s. uterque alteri s. alter alteri coronam nectat.

Epist. II, 2, 105.

Obturem patulas impune legentibus aures.

Durum videtur adverbium *impune* participio *legentibus* detractum cum verbo *obturem* conjungere: et numeri versus adversantur et adverbii collocatio*); nec vero necesse est, cum constet Horatium carmina sua nisi amicis legisse nemini (Sat. I, 4, 73 Nec recito cuiquam nisi amicis idque coactus; Epist. I, 19, 41 Spissis indigna theatris Scripta pudet recitare). Ceterum ad vocem *patulas* simul auditur „bisher, sonst", uti Carm. III, 5, 22 Retorta tergo brachia („einst") libero; III, 29, 17 Jam clarus occultum Andromedae pater Ostendit

---

*) Nec rectius Epist. I, 11, 26 „Non locus effusi late maris arbiter" adverbium *late* cum substantivo *arbiter* copulatur.

ignem. Verte: „Dagegen kann (darf) ich jetzt die Ohren verschließen, welche den ungestraft Vorlesenden sonst offen standen“.

Epist. II, 2, 111.

Audebit, quaecunque parum splendoris habebunt
Et sine pondere erunt et honore indigna ferentur,
Verba movere loco.

Sunt, qui vocabulum *ferentur* coll. Virg. Aen. VI, 823 „utcunque ferent ea facta minores“ idem esse velint, quod „judicabuntur a legentibus“. At de legentibus non est sermo — verba enim versantur adhuc intra penetralia Vestae —, sed de poeta ipso honesti vice censoris fungente. *Ferri* — imagine a flumine petita — est nostrum „mitunterlaufen“.

Epist. II, 2, 114.

Et versentur adhuc intra penetralia Vestae.

Conf. Epist. I, 20, 3 Odisti claves et grata sigilla pudico; Paucis ostendi gemis; Epist. II, 3, 388 nonumque prematur in annum Membranis intus positis.

Epist. II, 2, 127.

Dum mea delectent mala me vel denique fallant.

Particula *denique* in secundo eodemque postremo membro posita membrorum, quae potuerunt interjici, detractione facile explicatur, veluti h. l. delectant — defensionem habent — fallunt. Nos: „oder am Ende gar“.

Epist. II, 2, 136.

Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
Expulit elleboro morbum bilemque meraco.

Quae ratio intercedat inter vocabula *refectus* et *expulit*,

ne negligatur, vertendum erit: „als er durch die unablässige Bemühung seiner Verwandten wiederhergestellt die Krankheit durch eine Arznei vollständig vertrieben hatte“.

Epist. II, 2, 171.

. . . tamquam
Sit proprium quidquam.

Conjunctio *tamquam* cum irrisione posita raro usurpatur pro *quasi, quasi vero, proinde quasi.* Similiter Sat. II, 2, 27 Tamquam ad rem attineat quidquam.

Epist. II, 2, 206.

Caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine et ira?
Somnia, terrores magicos*), miracula, sagas,
Nocturnos lemures portentaque Thessala rides?
Natales grate numeras? ignoscis amicis?
Lenior et melior fis accedente senecta?

Fuerunt, qui in vocabulis *et ira* offenderent, quod poeta infra demum *(ignoscis amicis etc.)* de ira loqui existimarent. At neque quidquam conjectura mutandum videtur, nec genitivum *mortis* etiam ad vocabulum *ira* referri oportebit. Horatius enim, qui quidem ipse se irasci celerem profiteatur (Epist. I, 20, 25), iram in pessimis affectibus numerat eaque procul ut absit prohibeaturque, etiam atque etiam monet, veluti Sat. I, 3, 76 quatenus excidi penitus vitium irae, Cetera item nequeunt stultis haerentia; Epist. I, 2, 15 Seditione, dolis, scelere atque libidine et ira; ibid. 62 Ira

---

*) „terrores, magicos“, quemadmodum in compluribus editionibus scriptum legitur, erratum typographicum videtur esse.

furor brevis est etc.; Epist. II, 1, 129 Asperitatis et invidiae corrector et irae. Ac membrorum compositio haec est: Ambitionis vitium hoc loco noluit Horatius pluribus verbis persequi; uno vocabulo *inani* transacta res est; contra in altero membro *(caret — ira)*, quae primo universe per mortis formidinem et per iram posuit, haec iis, quae sequuntur, singulatim enumerat: pertinent enim ad mortis formidinem versus 208 et 209, ad iram versus 210 et 211. Ira autem carere eum posse dici, qui natales grate numeret quique ignoscat amicis, evinci licet his locis: Epist. I, 3, 29 si nobis vivere cari (volumus); Epist. I, 18, 101 quid te tibi reddat amicum; Sat. I, 3, 83—95.

Epist. II, 3, 40.

Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici,
Pleraque differat et praesens in tempus omittat,
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
In verbis etiam tenuis cautusque serendis
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum.

Inverso versuum 45 et 46 ordine complures importantur difficultates. Ac primum quidem superioribus verbis *(dicat, differat, omittat)* deest subjectum, quod longius repetendum esse censent a praecedenti accusativo *hunc* (v. 41); posterioribus vero *(amet, spernat)* adjunctum est idque hoc loco praeter necessitatem fusius perscriptum. Deinde a definito subjecto in sententia, quae subsequitur, repente deflectitur

ad subjectum infinitum *(dixeris)*. Denique quid sit in illo orationis contextu vocabulis *hoc amet* „er wähle dieses (Wort) mit Vorliebe" significatum, intellectu difficile est. Agitur de verbis serendis: num potest ex alicujus vocabuli semel positi usu cognosci praeter cetera illud esse a poeta amatum? De repetito scilicet uno eodemque verbo ne cogitari quidem potest. At omnia rectissime erunt versuum ordine, quem codices exhibent, non attemptato. Non dicam de subjectis ad utramque partem accommodatis. Loquitur poeta primum de ordinis virtute et venere h. e. de sententiis serendis, quarum virtus in eo cernitur, ut auctor jam nunc dicat jam nunc debentia dici, pleraque differat et praesens in tempus omittat („vorläufig bei Seite läßt"); venus in eo, ut *hoc* („den einen Gedanken") *amet* h. e. studiose uberiusque dicendo prosequatur („mit Liebe behandelt und durchführt"), hoc spernat („einen andern ganz verwirft"), ne quid de rei, quae est proposita, aut gravitate aut elegantia decerpatur. Deinde transiens ad facundiam de verbis serendis loquitur h. e. de usitatarum vocum junctura novarumque fictione.

Epist. II, 3, 120.

Scriptor honoratum si forte reponis Achillem.

Ex quo in vocabulo *honoratus* loco illo Ciceroniano (de div. I, 40, 88 Amphiaraum sic honoravit fama Graeciae, deus ut haberetur) allato simul auditur ablativus *fama*, ut sit nostrum „sagenberühmt, gefeiert", non jam debet quaeri, num eo nomine Achilles idcirco ornetur, quia Thetidis rogatu a Jove sit honoratus (Hom. *Α* 505).

Epist. II, 3, 223.

Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator functusque sacris et potus et exlex.

Hoc loco particula *que* idem significat, quod in soluta oratione *et is, atque is, isque, et is quidem* („und zwar, und noch dazu, und noch obendrein“).

Epist. II, 3, 244.

Silvis deducti caveant me judice Fauni.

Hoc est: „wenn ich mein Urtheil aussprechen soll, so rathe ich ihnen ꝛc.“ Similiter Cic. Tusc. V, 26, 75 Me quidem auctore etiam Peripatetici veteresque Academici balbutire desinant aliquando; Cic. de or. I, 12, 54 me auctore repugnabit; I, 59, 251 me auctore serviet; III, 14, 54 me auctore deridete atque contemnite.

Epist. II, 3, 401.

Post hos insignis Homerus,
Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit.

Perspicuitati serviet comma post vocabulum *Homerus* positum.

Epist. II, 3, 405.

. . . ludusque repertus
Et longorum operum finis.

Conjunctione *et* vocabula *ludus* et *finis* perinde conjunguntur atque enuntiato relativo hunc in modum: ludus, qui idem longorum operum finis erat. Verte: „und damit (zugleich)“.

Epist. II, 3, 428.

. . . clamabit enim „pulchre! bene! recte!“
Pallescet super his etiam, stillabit amicis
Ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram.

Noli interpungere post vocabula *super his,* sed post *etiam.* Junctura *super his etiam* et simili loco Epist. II, 2, 24 Quereris super hoc etiam, quod etc. defenditur et requiritur tota orationis sententia atque structura. Etenim assentator admirationem suam non modo verbis „Schön! herrlich! vortrefflich!“ exprimet, verum etiam super his nunc aut commotionem animi oris pallore aut maestitiam lacrimarum guttis simulabit, nunc laetitiam studebit aperte ferre concitatis corporis motibus. Eademque illa interpunctione efficitur, ut omnia tempora futura principem locum obtineant.